EXAMINIS ACTUSQUE ORATORII
SOLLEMNIA
IN
GYMNASIO SUNDENSI

DIEBUS III ET IV M. OCTOB. H. A.

PUBLICE CELEBRANDA

HUMANISSIME INDICUNT

RECTOR ET COLLEGIUM.

INSUNT

1) FRIDERICI CRAMERI, PH. D. GYMN. SUBR. DISSERTATIO DE PYTHAGORA QUOMODO EDUCAVERIT ATQUE INSTITUERIT.

2) FASTI GYMNASII.

I. 1.

SUNDIAE MDCCCXXXIII.

TYPIS OFFICINAE STRUCKII.

Pythagoras

quomodo educaverit atque instituerit

adumbravit

Fredericus Cramer,
Ph. Dr. Gymnas. Subrect.

Pythagoras

quomodo educaverit atque instituerit

adumbravit

Fredericus Cramer,
Ph. Dr. Gymnas. Subrect.

Graecos, cum maximam pueris educandis atque instituendis navaverint operam suorumque hominum eo, quo par est, studio et animum et corpus, ut justa utriusque fieret harmonia, perpoliverint, primos inter omnes antiquitatis gentes ad altiora rerum scholasticarum secreta quasi descendisse in easque inquisivisse accuratissime, nemo est qui mirabitur. Neque vero ab initio primisque philosophiae temporibus singuli quique Graecorum populi, quorum duo potissimum, Jones atque Dorienses, literarum gloriam ad posteros propagaverunt suam, quippe qui magna eaque diversa prae caeteris praediti essent ingenii alacritate mentisque sagacitate, ad haec sese converterunt studia, quibus liberorum educationem et institutionem firmissimis stabilirent fulcris itaque, ne quid respublica detrimenti caperet, optime videre possent. Etenim Jones, si ad utriusque populi respicere velimus indolem atque habitum, natura mobiliores, faciliores, alacriores externa specie variisque variarum rerum mutationibus multo magis afficiebantur, quam Dorienses, quorum firmior, gravior, severior erat natura, et qui non ita iis quae fiunt quaeque mutantur, quam iis quae sunt quaeque manent se addixerunt et hac de causa ab externa ad internam quasi confugerunt vitam.

Neque aliter utriusque stirpis philosophi. Jonici enim antiquissimo, quo Athenis philosophiae jaceret studium tempore, physicis potissimum studuerunt rerumque naturam, quatenus oculis est subjecta, ratione animoque lustraverunt, ut Thales, Anaximenes, Anaximander, Archelaus Milesii [1]), Diogenes Apollonias, Heraclitus Ephesius, Anaxagoras Clazomenius, atque ad morum doctrinam rarissime respexerunt, Dorici vero, qui non hac illave materia, ut aqua, aëre, igne nituntur, in iis potius, quae a sensibus et consuetudine sunt sevocata atque abducta, versantur, indeque et cogitandi et agendi repetunt normas. Quae cum ita sint ex iis quae illis placuerunt ad nos, qui, quae philosophi de educatione

[1]) De Mileto, quae urbs in re literaria et scholastica lunae instar inter minora Asiae minoris splendet sidera cf. Geschichte der Erziehung und des Unterrichts in welthistorischer Entwickelung von Friedrich Cramer, 1ster Theil. S. 250 u. 251.

statuerint, sumus adumbraturi, pauca tantum redundare, horum vero philosophiam et quidem eam potissimum doctrinam, qua hominum vitam moresque animo et cogitatione sunt complexi, ut pro virili parte exponamus nostra permagni interesse, quis est quin videat?

Jam vero inter Doricae philosophiae auctores longe primum tenet locum Pythagoras, cujus educandi instituendique ratione jam explananda eo minus supersedere possumus, quod omnibus, qui de scholis cogitando, scribendo, agendo optime sunt meriti, facem praetulit, quodque, quum iis temporibus, quibus rerum humanarum divinarumque studium haud ita magna ceperat incrementa, juvenes erudiverit, scholastica ejus dogmata ita tenebris sunt obducta ut quid sibi voluerit vix intelligeres, ne dicam plane nescires; nam quo obscuriora sunt, quae philosophi docuerunt, eo majore impelluntur novi studio homines eoque saepius falsa commiscentur veris. Nec quisquam aequalis Pythagorae scriptor exstat, quo satis certo stetur auctore. — Quodsi ego, qui afferendo lucem historiae philosophiae impar sim pro tenuitate mea, Pythagorae educationem mihi eligo describendam, ne arrogantiae me accusent neve hoc ipso graventur conamine oro atque rogo, nam, quamquam ab octavo ipso abhinc anno haecce studia magno amplexus sum amore et doctissimi, qui hodie Pythagoricae philosophiae scriptores exorsi sunt, ut Boeckhius, Ritterus aliique mihi viam monstraverunt saepissime, tamen tantum abest ut mea qualicunque opera rem ita difficilem ab omni parte me esse expediturum sperem, ut neque aliis neque mihi satisfecisse videar, meamque audaciam, qua rem arduam aggressus sum, ut mihi ignoscere velint, a viris doctissimis harumque rerum peritissimis petam magnopere.

At dicat aliquis, discrimen quod inter Jonicos et Doricos statuisti philosophos, quoque illis physica, his logica atque ethica, quae dicunt, tribuisti prorsus nullum est. Nonne Pythagoras ejusque discipuli, ut Philolaus, qui primus inter Pythagoreos suae sectae edidit scripta [2]), maximam partem in doctrina de rerum natura sunt versati? Audio, quin imo fateor Pythagoram, cujus patria insula Samos, genere Jonem esse. Quantum vero discrimen inter physicam utriusque sectae disciplinam! Jones enim natura ejusque legibus ducuntur, Pythagorei ipsam naturam legibus ex mathematica depromtis, quas aeque acutas atque obscuras composuerunt, subjiciunt eique arcanum illum concentum divino animi sui

[2]) Boeckh: Philolaos des Pythagoräers Lehren S. 22, 43 und 184 u. s. w.

afflatu quasi inspirant, Jones in una eademque conquiescere solent disciplina, Pythagorei ex naturae legibus ad morum quoque ascendunt normas illasque in vitam communem et transferunt et accommodant.

Pythagoram natu tantum Jonibus esse annumerandum et ubique Doricam prae se ferre indolem, non solum ex ejus philosophia verum etiam ex vita patebit, quam nunc paucis adumbrabimus. Neque enim singula quaeque exponere hujus esse loci putamus, nisi plus justo a rerum declinare velimus ordine, sed ea tantum, quae ad docendi discendique artem pertinebunt, ad quam varia ex Pythagorae vita possunt referri. In quibus, si mea saepius citavero, id immodeste esse factum ne censeant, lectores monuerim.

Samos insula, quae Pythagorae fuit natale solum circa Olymp. 49 (580 a. Chr.). Jonum fuit et primis jamjam temporibus non solum nervorum vocumque cantibus, in quibus summam eruditionem Graeci sitam esse censebant, verum etiam reipublicae sapientissime regendae disciplina inter alias ejusdem regionis insulas, in quibus, ut in prima Asia minore, literarum artiumque studia primas egerunt radices, eminuit magnopere [3]). Apollini, quem Doriensium potissimum esse deum magno ingenii acumine probavit O. Müllerus [4]), cujusque dei apud Pythagoram plurimum valuit cultus, multas aras dedicatas multaque thura esse sparsa a Samiis non possumus quin inprimis memoremus. Ut Pythagorica philosophia subobscura est, sic auctoris vita, quae, cum hominum ore famaque populari prodita sit, quae varietatibus materiem exornans suam non ita veritatem servare, quam deverticula quasi amoena audientibus parare studet, magis magisque mythicam induit speciem usque ad tertium quartumve p. Chr. saeculum, quo Diogenes Laertius, qui dijudicando non aeque ac colligendo praecipuus, Porphyrius, qui Neanthem sequitur, Jamblichus, cui Aristoxenus praeivit auctor, disjecta quasi membra, utut sermone erant propagata, in unum redegerunt chartaeque mandaverunt. Diogenis Laertii diligentiam atque assiduitatem, qua libri sui materiem conquisivit atque conscripsit, nemo est quin laudet magnopere, etsi antiquae philosophiae historiam primis tantum gustavit labris, eamque vix mediocriter scire

---

[3]) Ritter Geschichte der pythagor. Philosophie S. 7 u. s. w. Geschichte der Erziehung, I. 254. Pythagoram Olymp. 43, 4. esse natum et 72, 4. mortuum docet Bentlejus in dissertatione de aetate Pythagorae. Cf. responsum quo dissertationem suam de epistolis Phalaridis vindicat a censura Caroli Boyle pag. 173 — 203.

[4]) Die Dorier I., 201. seq. Panofka res Samiorum p. 63.

curavit, de Jamblicho vero varia variorum sunt judicia. Equidem ex mea, si qua est, sententia neque in quibus aliorum prodidit dogmata, quae fabulis saepissime habemus commixta, neque in quibus suas proponit sententias, quid gravitatis atque severitatis insit, videre non possum [5]).

Ex veterum sententia cum maximi intersit quos habeant parentes liberi, generique, quo in paternae vitae deducuntur similitudinem, multo majus tribuatur momentum quam libero singulorum arbitrio, quod apud nostros plurimum valet homines, Pythagoram, quo in literis artibusque nullus aequalium fuerit celebrior quique eo vixerit tempore, quo pro credula priscorum hominum simplicitate, fabulis non suam denegaverunt fidem, cognatione quadam cum Apolline et Herme sive Latinorum Mercurio, qui duo primi atque celeberrimi rudium hominum praeceptores, fuisse junctum non est quod miremur. Verum enim vero quo antiquiorem temporum memoriam replicamus, eo magis se nobis obviam fert opinio, qua, perpetuo quodam judicio, optimi quique nonnisi ab optimis gignuntur, cum parentum virtutes atque vitia in liberos quoque transeant iisque quasi innascantur, quam ob causam multorum, qui ab omni parte erant perfecti magnamque sibi paraverant gloriam, a diis repetiverunt originem. At horum pro varia parentum natura magnum fuit discrimen, Romulus bellica eminuit gloria quippe qui Martem habuerit patrem, Hercules vero, qui jam in incunabulis infantulus se Jovis omnipotentis probavit filium, cum serpentes eliserit, quos alter frater, mortali patre genitus, fugit, corporis robore fere omnipotenti atque infinito inter omnes excelluit [6]). Itaque summus noster philosophus, clarior quam quem mortalis patris filium capere possent, ex aliorum narratione ipso Apolline, ex aliorum, Mnesarcho quodam natus esse dicitur [7]), quem Mnesarchum nullum alium ac Mercurium fuisse equidem haud abnuerim. Mercurius enim aut communi nomine Mnesarchus potuit appellari, quippe quum memoriae atque historiae mythicus sit auctor [8]), aut, nam haud deerunt qui quam modo proposui interpretationem ut violentam atque ineptam

[5]) Daunou in Journal des savans, Janvier 1828, Procli, philosophi Platonici, censens opera, quae edid. Cousin, dicit: Le grave Jamblique parla le langage des pontifes et des oracles plutôt que celui d'un metaphysicien.

[6]) Non quidquam dubium iis referimus qui a nostra interpretandi ratione non alieni sunt, quam proposuimus in: Geschichte der Erziehung I, 156.

[7]) De variis nominibus quae Pythagorae tribuuntur patri cfr. Menagium ad Diog. Laert. VIII, 1. et Gronovium ad Justin XX, 4.

[8]) A μνάω et ἄρχομαι.

prorsus rejicient, peculiari quadam causa, cum Pythagoras priscae suae vitae memoriam, quam aliis quoque curavit injiciendam, a Mercurio nactus sit eique tamquam auctori acceptam retulerit [9]). Jam, cum patris indoles filiis insita sit atque innata aeque in morum conditione atque in quacunque arte et disciplina, matres enim multo minus valuerunt in liberos pro illorum temporum de muliebri sexu opinione, Pythagoras musicae literarumque studio omnium celeberrimus, vel Apollinem, qui musicae est deus, vel Mercurium, qui literas longe lateque diffundit, habere patrem ex ipsa patet rerum natura, qua quae animo effingimus mutuo se excipiunt alterumque alteri se adjungit [10]). Alii aliter rem expediunt dum Pythagorae patrem Apollinis fuisse sacerdotem contendunt, aut philosophi nostri originem ad Tyrrhenos referunt Pelasgos [11]).

Neque minus quam patris, quod certa atque historica caret fide, a fabulis abhorret matris uxorisque nomen, Pythais enim mater et Theano uxor, Pythanactis Cretensis filia, in cujus patria Apollo colebatur maxime [12]), cum Pythio deo Pythagoram propinquitatis fere vinculis fuisse conjunctum latenter innuunt. Atque non possumus quin hoc loco afferamus acutissimam Welckeri explicationem, quo interprete filiarum quoque atque fratrum ficta et commenticia sunt nomina. Etenim quod alteri filiae, cui Damo erat nomen, eaque mortua filiae Bitalae Pythagorae erant tradita scripta, communi populo ea esse dedicata, ut ipse in Ὁμακοΐῳ [13]), in quo homines frequentes adesse solebant, docuit, et deinde Italiae potissimum, ut verae Pythagoraeorum patriae, innuisse feruntur subtilissimi harum fabularum auctores. Altera filia Μυῖα, quae Ἀριγνώτη quoque nominatur, aut vivam praeceptoris vocem, qua docendo multo magis utebantur veteres quam scripta littera, significare aut feminas sapientissimas, quas permultas erudivit atque instituit philosophus ille, nobis videtur declarare. Neque Eunomus et Tyrrhenus re vera Pythagorae sunt fratres, sed eorum nomina et societatem Pythagoreorum optime ordinatam et Tyrrhenorum genus, quo, ex quorundam sententia, natus erat auctor, indicant [14]).

---

9) Ritter Geschichte der Philosophie, 1r Th. S. 344. et Diog. Laert. VIII, 1.

10) Quae alio loco a nobis sunt exposita ut: Geschichte der Erziehung I, 90 seq., ubi quoque, qualis lateat sensus in narratione, qua Pythagorae mater jam gravida cum marito Delphos sese contulit ibique de filio oracula accepit, videre possumus.

11) O. Müller Dorier I, 305. u. Ritter Gesch. der pythag. Philosophie S. 34 u. f. w.

12) Dorier I, 206, et de Pythagoricae philosophiae cum Apolline nexu I, 221, 283, 324, et II, 284.

13) Quod ὁμακόϊον nobis ἐκκλησίαν explicat Clemens Alexandrinus Stromat. I, 15. Cf. Porphyr. v. d. Pythag. c. 20, et Jamblichum c. 6 et 17.

14) Cf. Jahnii annales philol. et paedag. III, 1, 4, pag. 392, quo loco Welckerus Sapphonis Mytilenaeae fragmenta, quae edid. Neue, censuit.

Pythagoram optima indole eximiaque pulchritudine esse gavisum, ne id quidem est monendum cum nobis, qui veterum hac de re sententias collegerimus, non assidua diligentia sed ingenio innato, exceptis levioris momenti impedimentis, aliquid posse profici, ex eorum pateat judicio. Neque pulchritudinem apud Graecos primum tenuisse locum quisquam est qui negabit, cum justam animi corporisque harmoniam, quam *καλοκαγαθίαν* dixerunt, eam habuerint conditionem, sine qua a summo vitae fine abessent homines. Quae sententia, quam aetate posteriores magis magisque rejecerunt, primis ita valuit temporibus, ut hominem corporis habitu ac forma inferiorem pessimum quoque et nequissimum haberent. Optimam ingenii facultatem, insignem pulchritudinem, ingenuum corporis habitum, summam pietatem atque temperantiam ad unum omnes in Pythagora laudant scriptores [15]). Neque quod ad corporis attinet vires cuiquam erat secundus noster philosophus, Eratosthenes enim Pythagoram, ait, cum pugilatione vellet certare cum pueris, rejectum a judicibus, ut jam absoluta aetate puerili, derisumque, ut ignavum et timidum, quod se cum pueris jungeret, statim cum viris in certamen descendisse eosque omnes vicisse. Ecce modestiam cum fortitudine conjunctam! [16])

Inter praestantissimos eosque sapientissimos viros, quos Pythagorae fuisse perhibent sive praeceptores sive comites, Thales, qui primus solis defectionem praedixisse, Anaximander, qui primus de rerum coelestium magnitudine atque intervallo quaesivisse fertur, Creophilus, Bias Prienensis, Pherecydes Syrius, cui morienti tamquam patri justa persolvisse dicunt discipulum Samium [17]), memorantur maxime. Sed horum quoque nomina in dubium possumus vocare, cum grammatici more suo celeberrimis quibusque viris quam clarissimos tribuant magistros. Sicut enim improbo patre probum filium nasci ita ab obscuro praeceptore clarum discipulum erudiri negabant. Quae hoc loco fusius exponere eo magis possumus supersedere, cum Naekius, in Choerili Samii fragmentis [18]), hunc usum

[15]) Porphyrius de vita Pythagorae §. 1: *Πυθαγόρας, ἐκ παίδων εἰς πᾶσαν μάθησιν ἦν εὐφυής.* Idem §. 18: *κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν ὑπὸ τῆς τύχης εὖ κεχορηγημένον, — ἐλευθέριον καὶ μέγαν, Χάριν τε πλείστην καὶ κόσμον ἐπί τε τῆς φωνῆς καὶ τοῦ ἤθους καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων.* Veritatis amorem in Pythagora magnopere praedicat Porphyrius §. 41: *Παρῄνει μάλιστα ἀληθεύειν. Τοῦτο γὰρ μόνον δύνασθαι τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖν θεῷ παραπλησίους.* Jamblich. de Pythag. vita c. 2. §. 9 et 10: *ὁ δὲ (Πυθαγορας) ἀνετρέφετο εὐμορφότατος τε τῶν πώποτε ἱστορηθέντων καὶ θεοπρεπέστατος εὐτυχηθείς.* Cf. c. 3. §. 14, ubi Pythagorae laudatur *εὐκοσμια* et c. 35, §. 254. Geschichte der Erziehung I, S. 88 — 92.

[16]) Cf. Richardi Bentleji dissert. Phalarid. pag. 178 seq. Nisi forte Pythagoras athleta, philosophi fere aequalis, ab Eratosthene innuitur. De Anaximandro cf. Ritters Geschichte der Philosophie I, 275 et 349.

[17]) Diodori excerpt. p. 554, et Diog. Laert. I, 118.

[18]) p. 21 — 24, quem secuti sumus in: Geschichte der Erziehung 1r Th. S. 159.

ea qua exspectari potest doctrina multis probaverit exemplis. Unde quanta magistri ex veterum judicio valuerint quantaque eorum fuerit auctoritas optime potest cognosci. Neque minus qui sapientia et nobilitate prae caeteris eminent viri, nobilissimorum praeceptorum fuisse perhibentur a posterioribus discipuli, ut Numa Pythagorae. Nam cum hujus disciplinam et instituta cognoscerent, regisque ejus aequitatem et sapientiam a majoribus suis accepissent, aetates autem et tempora ignorarent propter vetustatem: eum, qui sapientia excelleret, Pythagorae auditorem fuisse crediderunt [19]).

At non solum a celeberrimis patriae viris eruditus est a puero Samius noster, optimae spei juvenis, verum etiam aliunde expetivit atque arcessivit sapientiam cum exteras lustraret terras, si quid esset quod discere posset. Quot adiit viros, quot regiones pedibus obiit, quot maria transmisit, de his ut fusius dicamus hic non est locus, cum ab aliis satis sint exposita [20]). Neque quid sit quod variis hisce terris acceptum referat nunc potest expediri. Ut mihi quidem videtur, qui minus ad vitae respiciam experientiam quam ad literarum incrementa, haud ita multa ex peregrinarum terrarum commercio in suum convertit usum, nisi forte ex una Aegypto tamquam clarissima scientiarum sede, rerum sacrarum atque mathematicae, cui magnopere erant dediti hujus terrae incolae, sibi comparavit notitiam et ab Aegyptiorum sacerdotibus numeros accepit et coelestia, quibus sua nititur philosophia [21]), quod quidem non ita verisimile cum Aegyptus, quippe quae antiquitus seclusa esset et usque ad Psammetichum regem peregrinorum commercio raro tantum pateret, inde ab Herodoti demum aetate, qui barbarorum sacerdotum cum Pythagoreorum conjunxit mysteriis [22]), innotesceret dignissimaque, quae adiretur, appareret, quae gloria usque ad Ptolemaeos manavit, quorum tempore Aegyptum omnium literarum omnisque scientiae esse matrem longe lateque est propagata opinio [23]).

Quamquam non ex aliorum populorum sed ex ingenua animi sui indole Pythagoram philosophiae suae petivisse principia crediderim, tamen ad orien-

---

19) Cicer. Tuscul. IV, 1.

20) De Pythagorae itineribus cf. Ritter Geschichte der pythagor. Philosophie S. 29, et Krische: De societatis a Pythagora in urbe Crotoniatarum conditae scopo politico commentatio (de sententia philosophorum ordinis Gottingensis praemio regio ornata). Gottingae 1830, pag. 5 seq.

21) Quod Jamblichus c. 4 et 29 et Porphyrius §. 6 censent.

22) Herod. II, 81.

23) O. Müller Geschichten hellenischer Stämme und Städte, 1r Th. S. 100.

tem nonnulla pertinere non deerunt qui contendant. Quia etiam, cum Indiae permulta vindicare soleant nostri homines, singula quaedam vivendi praecepta Indicam redolere naturam pro certo affirmabunt. Equidem vix duo Indorum in Pythagoricis colligere possum vestigia, scilicet continentiae in victu leges, quibus Pythagoreorum quoque, aeque ac Brachmanarum, vita artificiosius erat circumscripta atque coercita, quibusque ne fabis, quorundam animalium carne aliisque vescerentur, interdictum erat, quae vero leges, quas intra afferamus, utrum habuerint locum in Pythagoreornm societate, an, quod verisimilius, maximam partem ex Orphicorum ad illorum translatae sint disciplina, quaeri potest [24]). Neque minus symbolum illud quintum decimum apud Jamblichum in adhortatione ad philosophiam [25]) ad Indicorum sacerdotum retulerim praecepta, quae, innumera fere, vel singula quaeque, quibus vitae parebant necessitati, praescripserunt, cum in veteribus hujus populi legibus, quas nunc ad manus non habeo, simile quiddam legere bene meminerim. Atqui huc potest delegari Indorum fides, qua liberorum procreationem pietatis erga deos habent officium [26]), illorumque frequentia optimaque educatione egregiam parari posse coelestium benevolentiam aeternamque fere salutem sibi sunt persuasi. Commune enim erat veterum judicium quo caelebes, cum adolescentes tum virgines, damnabant, quod jam iis locis, quibus Spartanorum, Atheniensium, Romanorum nuptiales adumbravi leges, satis exposuisse mihi videor. At ne hoc quidem longius repetamus est necesse, quippe Graeci quoque liberos futuros esse deorum ministros crediderint, per quos ut immortalitati studeamus simulque officia erga majores atque posteros expleamus et gloriam longius propagemus nostram unus ex celeberrimis praecipit philosophis [27]).

Quae alia afferri possunt tamquam peregrinorum et quidem orientalium potissimum populorum specimina, quae sunt magna ac fere divina auctoritas, quam habebat Pythagoras, qua, si quid disputando affirmabant discipuli cum causa quaereretur, respondebant αὐτὸς ἔφα [28]), atque famosissimum illud silentium, quam

[24]) Krische p. 33, von Bohlen das alte Indien I, 266 seq.. II, 160 et 161.

[25]) Cap. 21, πρὸς ἥλιον τετραμμένος etc.

[26]) ut Pythagoras, cf. Jamblichi de Pythag. vit. c. 18, dixisse fertur: ὅτι δεῖ τεκνοποιεῖσθαι, δεῖ γὰρ ἀντικαταλιπεῖν τοὺς θεραπεύοντας τὸν θεόν. Vergl. Geschichte der Erziehung I, S. 38 u. 56 u. s. w. Sunt apud Indos inter octo coeli Loks, quos vocant, et Pitri Lok et Matri Lok, sive patrum matrumque, innuptis vero utriusque sexus hominibus denegatae sunt coelestium regiones. Cf. Wilkins ad Heetopades p. 305, et Hüttner ad Manus leges I, p. 4.

[27]) Plato in legibus XI, 923, a, b, IX, 877, e, de republ. II, 363, a.

[28]) Jamblich. c. 35, §. 255: μηδένα τῶν Πυθαγορείων ὀνομάζειν Πυθαγόραν, ἀλλὰ ζῶντα μὲν ὁπότε βούλοιντο δηλῶσαι, καλεῖν αὐτὸν θεῖον· ἐπεὶ δὲ ἐτελεύτησεν, ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα. Cfr. Odyss. ξ, 145.

ἀκουστικῶν vocabant ἐχεμυθίαν, quaque, Asiaticorum more, in sacerdotum sive magistrorum verba temere ac sine judicio juraverunt et neque dijudicando, utrum recta an secus quae discant, neque exquirendo sibi stabiliverunt, non possum quin censeam nihil quidem liberali, sagaci, vivido Graecorum ingenio esse indignius, utrumque autem ab inferioris aetatis auctoribus, qui, quaecunque ad Pythagoram pertinent, exaggeraverunt ficta sua oratione, magnopere esse adauctum atque amplificatum. Equidem, si ad vivum atque ad simplicitatem suam naturam rem velimus resecare, et praeceptoris majestatem et discipulorum fere despicientiam in singulari Doriensium severitate, qua liberos curabant educandos, esse reponendam ex animi fateor sententia, nam haud scio an nulla Europae res publica tantos, quantos Sparta, honores puerorum habuerit magistris. Quod quidem infra videbimus ubi in ipsa erudiendi norma, qua usus est Pythagoras, versati fuerimus, quare ad Pythagorae, a quibus aberravimus, jam nunc revertamur itinera.

Samius cum in praecipuis Doriensium, quibuscum non natu quidem sed natura atque consuetudine erat conjunctus, sedibus, in insula Creta atque in Laconica terra, hujus stirpis mores atque instituta simul cum Minois Lycurgique legibus accuratius cognovisset in Graeciam, quae magna dicta est, sese contulit, ubi Doricae urbes quum vitae implicitate tum, quod maximi erat momenti, summo musicae atque gymnasticae floruerunt studio [29]). Charondas enim, Catanensium aliorumque Siculorum legislator, atque Zaleucus, qui Locris scripsit leges, in scholasticis rebus, quibus nihil uberius, nihil pulchrius, nihil praestabilius esse judicabant, summam, si fama vera est, posuerant diligentiam Pythagoraeque in juventute erudienda, viam aperientes, praeiverant [30]).

Et quidem Crotone quadraginta annos natus quasi vitae suae collocavit tabernacula, quae urbs, quam sanam vocabant, ut gymnastices exercitatione ac morum frugalitate emineret magnopere Tarenti atque Sybaris, vicinarum urbium, maxima effecerat luxuria. Quid quod Croton celeberrimas in gymnico certamine retulerit victorias atque in una olympiade septem numeraverit suos stadii victores? ecquis Milone Crotoniata omnium athletarum fuerit clarior atque illustrior? ecquae urbs Italiae inferioris aequabili civitatis regendae forma atque imperio suo bene moderato magis placere potuerit Pythagorae, optimatum fautori? Crotonia-

[29]) Geschichte der Erziehung I, 304 — 306.

[30]) Ebendas. 296. Wachsmuth hellenische Alterthumskunde II, 1, 181, et 2, 45 et 72. Diog. Laert. VIII, 16. utrumque Pythagorae nominat discipulum, sed erravit. Cf. Krische I, 1, p. 89.

tarum, cum corpora semper exercerent viresque augerent, ita corroborata erat natura itaque divino pulchritudinis quasi afflatu imbuta, ut multo post Pythagoram Heracleotes Zeuxis, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, quemque magno pretio conductum adhibuerant, cum Junonis templum, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare vellent, puerorum puellarumque formas et corpora magno opere miraretur [31]). Quid causae fuerit cur hanc eximiam Crotoniatarum pulchritudinem laudaverim quidve intersit ut in hisce quae prorsus aliena videri possunt, moratus sim, non interrogabit, si quanti aestimaverint Graeci pulchrum corporis habitum, quod verissimum optimae spei habuerunt specimen, paucis meminerit lector benevolus [32]).

Neque vero in hoc fertile solum statim literarum spargere potuit semina Pythagoras. Etenim quo tempore ad Italiae naves appulit oras ad internecionem usque pugnaverant ad fluvium Sagram [33]) cum Locrensibus Crotoniatae, et quidem infelicissime. Post cladem hanc miserrimam fortunis suis desperabant, armorumque cura fere omissa, oderant enim quae infeliciter sumserant, jam in eo erant ut virtutem luxuria mutarent. At venit Pythagoras, qui singulari, qua hominum sibi devincire potuit animos, natura, ingenuaque, qua omnium sibi conciliavit fiduciam, virtute, mox civium, quos permagna viri incessit admiratio, ita sedavit tumultum itaque de civitate bene meruit, ut populum in luxuriam lapsum auctoritate sua ad frugalitatem revocaret virtutisque in rempublicam reduceret exercitationem [34]). Quam ut in posterum quoque servaret non totum se dedidit publicis muneribus, quae, ut administaret, cives addictissimi ei commiserant, sed morum disciplinam augendo et philosophiae studium [35]) propagando se maximum afferre reipublicae munus bene ratus, magna eorum, qui discendi erant cupidissimi, sese circumdedit corona.

In scholam sive juniorum majorumque hominum societatem, quam Crotone instituit summus praeceptor, ii tantum recipiebantur qui aeque pietate ac virtute eminebant, ejusque cursum ii soli emetiri potuerunt, quos non solum vita bene morata verum etiam optima indole atque nativa quadam liberalitate dignissimos

---

[31]) O Müller Dorier I, 365, et II, 179 et 180. Cicero de inventione II, 1. Strabo VI, 262. Krische p. 15 — 19.

[32]) Geschichte der Erziehung I, 161.

[33]) De hujus pugnae tempore bene disseruit Krische p. 19 et 20.

[34]) Justin. XX, 4.

[35]) Primus se philosophum nominasse dicitur cf. Cic. Tuscul. L. 1. et Valer. Maxim. VIII, 7, externa 2.

habuit, qui altissimis literarum studiis initiarentur quique aliquando, nam politicis, quae dicunt, prae caeteris consuluit atque studuit, rebus praeficerentur publicis. Itaque intuentibus nobis et singula et universa Pythagoricae societatis fundamentum ac primum quasi principium pia virtus atque severa rerum videtur investigatio, summum vero quod in sua egit schola Pythagoras nihil aliud erat nisi ut honestos atque sapientes reipublicae erudiret moderatores. Quae schola qualis fuerit jam accuratius videbimus, quamquam, cum fabulas atque commenta sua ita admiscuerint, qui Pythagoricae societatis externum nobis adumbraverunt statum, ut vera a falsis vix possint secerni, num operae pretium facturus sim dubito magnopere.

Scholae, quam Pythagoras circa olympiadem sexagesimam secundam Crotone condidit, tres fuisse videntur classes, quarum in prima juvenum mores atque optimarum literarum indoles per trium annorum spatium exploravit atque examinavit. Cujus facies liberalis erat et ingenua, nonnisi hunc primo huic morum adscripsit coetui, si parentibus atque cognatis debitam ac justam non omiserat obedientiam, quam prae caeteris magni aestimavit virtutem, multos vero qui optimos se fore non ita oris ductu promiserunt, rejecit, ut seditiosum illum Cylonem, nam ex quoque ligno Mercurium posse exsculpi negavit [36]). Ab initio enim adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant ἐφυσιογνωμόνει sive mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris vultusque ingenio, deque totius corporis filo atque habitu est sciscitatus [37]). Neque solum in primo hocce vitae scholasticae stadio omnes accurate observavit discipulos, sed ad singula quaeque, quid tacerent, quid loquerentur, quid appeterent, quo afficerentur, animum advertit [38]), et quidem potissimum ad modestiam atque verecundiam, qua nullam virtutem adolescentibus esse potiorem censuit Pythagoras. Vanitatem vero atque ostentationem magnorum multorumque esse matrem vitiorum vere nos docuit praeceptorum maximus, qui, pueros superbia inflatos literarum studio magis magisque tumescere, cum inani ac falsa doctrinae suae facile efferantur persuasione, juve-

[36]) Tres fuisse classes ex ipsa scholae conditione concludo, non ex variis discipulorum nominibus, qui Politici, Oeconomici, Esoterici, Nomothetici, Acusmatici, Theoretici appellabantur. Cfr. Jambl. c. 17, 18 et 28, §. 150. Ritter Geschichte der pythagor. Philosophie p. 44—54, qui de variis hisce nominibus corumque origine apud philosophos aetate inferiores, qui civilium rerum studium divinarum opposuerunt contemplationi ex quorumque sententia mathematica ad aliores via munitur disciplinas, bene disputavit.

[37]) Gellius N. Att. I, 9.

[38]) Porphyrius §. 13 et 14. Jamblich. c. 17.

nesque, qui sine morum castitate liberalibus artibus et doctrinis operam navant, multum abesse ut erudiendo meliores fiant, bene intellexit. Secundum inanem huncce animum Samio nullum tetrius vitium nullaque major pernicies quam avaritia atque intemperantia, quas ut primis quasi avelleret radicibus, priusquam in venas permanarent tamquam venenum pestiferum et visceribus inhaererent, studuit egregie.

Hoc cur fecerit apparebit optime, si in memoriam nobis revocaverimus Doricam illam bonorum communionem, quae in Pythagorica latius patuit societate, in qua singuli, qui arctissimis familiaritatis vinculis cum magistro erant conjuncti, privata sua ad communem usum contulisse dicuntur. Pythagoram enim in familia sua efficere voluisse ut unus fieret ex pluribus nihiloque sese plus quam alterum diligeret morum similitudine bonorum aequaque liberalitate proditum est memoriae [39]).

Caeterum hos discipulos, quos brevitatis causa primae classis complexi sumus nomine, procul omni strepitu congressuque hominum vitam egisse umbratilem et tamquam solitarios altissimis, quibus statariam illam atque immobilem Pythagoreorum circumdare solent cohortem, muris inclusos, in secessu, quo nullus miserior esse potuit, cum aura tantum prae nimia vescerentur [40]) temperantia, libertate sese abdicasse, longe abest ut credamus. Haud ferme alia de Pythagoreis vanior esse potest opinio, si quidem etiam, ut longe plurimi Graecorum philosophi, non scholae sed vitae esse discendum censuerunt. Ex nostra quidem sententia aequalium gaudebant commercio, sed a Pythagora, cujus in se adverterant animum modestia sua, quae cum gravitate et hilaritate bene mixta erat, in vita communi accuratius observabantur, ut, si cultu atque habitu in utraque satisfecerant fortuna, in suam reciperentur societatem. Etenim nonnisi majores natu sibi elegisse socios praeceptorum longe celeberrimum ex ipso sectae fine, quo sacris publicisque operam dederunt rebus, apparere videatur. Neque aliter cur designatos hosce discipulos iis, qui majore praeceptoris gaudebant familiaritate semper opponantur, intelligere possum [41]).

In qua prima classe, quae accurata morum atque consuetudinis disciplina ad altiora viam parabat discipulis, si silentio, sermone, studiis, corporis motu,

---

[39]) *Πυθαγόρας πρῶτος ἀποφηνάμενος τὸν φίλον ἄλλον ἑαυτόν.* Porphyr. §. 33. Unde etiam notissima illa Pythagorae vox: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων.* Cf. Beier ad Cic. de offic. I, 17.

[40]) Quod haud ita miti poëtarum sensu dixerim.

[41]) Jamblich. c. 6 et 18.

totaque vitae ratione decorum observaverant omnique contentione turpia indecoraque fugerant, alterius facti sunt cives, qui quinquennali studuisse dicuntur silentio sive ἐχεμυθίᾳ, quod, si unquam locum habuit, eo mihi sanxisse videtur consilio Pythagoras, qui quoque hac in re Lycurgi ingreditur vestigiis [42]), ut temperantiam, quam in somno, cibis, affectibus tenendam curavit, in verbis quoque bene exercerent [43]). Neque enim hi discipuli aetate jamjam provecti liberiore vita laxioreque gaudebant imperio, imo, cum jam ipsi societati essent adscripti, quamquam haud ita firmis, quibus veri Pythagorei, vinculis, severiori subjecti erant disciplinae, ut saepius, si in rectam, abs qua aberraverant, non redierunt viam, excluderentur et tamquam vita, h. e. vera animi vita, defuncti ablegarentur. Eorum, quibus ita schola sua, cujus haud steterant legibus, interdixerat Pythagoras, societate ne tangerentur saluti suae valde providebant caeteri discipuli [44]). Unde Pythagoram vulgari mori, quo adolescentiam e puerili disciplinae egressorum solutior erat vivendi ratio et institutio, prorsus contrariam amplecti sententiam aperte videmus. Quo magis enim adoleverunt discipuli, eo magis freno eos coercuit, ut verbo utar in re scholastica apud Graecos frequentissimo, qui adolescentes cum pullis equinis libere per prata pascentibus comparabant [45]). Cum Pythagora unus tantum, quantum scio, consensit Lycurgus [46]).

Jam vero hoc tacendi tempore [47]) non solum discipulorum observavit naturam, utrum humanitate inclinarentur facile ferocitatemque sine magno exuerent labore, verum etiam saepius tentavit hujus classis cives, num disserentem praeceptorem optime possent sequi, et dociles essent bonaque gauderent memoria, quam maximi aestimavit. Quae omnia si quaerendo atque indagando pernoscere voluit, silentium illud haud ita severum fuisse jam patet, cum ultro citro darent

---

[42]) Geschichte der Erziehung I, 190 et 191.

[43]) Porphyr. §. 13 et 14. Jamblich. §. 68 et 72. Auctor libelli de puerorum educatione, quem Plutarchum fuisse plerumque dicunt, mysteria, ait, hoc esse consilio instituta ut homines silentium observarent religiosissime, et Isocrates ad Demonicum pag. 10 majorem taciturnitatis quam pecuniae nobis commendat curam. Cf. Plutarch. de garrulit. pag. 505, F. ibique Wyttenb. (pag. 127). Neque minus interdum oratorium esse tacere quam dicere acceperat Plin. epistol. VII, 6.

[44]) Jamblich. c. 17, §. 74 et 78: *Πυκιναὶ καὶ λάσιαι λόχμαι περὶ τὰς φρένας καὶ τὰν καρδίαν πεφύκαντι τῶν μὴ καθαρῶν τοῖς μαθήμασιν ὀργιασθέντων, πᾶν τὸ ἅμερον καὶ πρᾶον καὶ λογιστικὸν τᾶς ψυχᾶς ἐπισκιάζουσαι κ. τ. λ.* Cf §. 94 et epistolam, quam ad Hipparchum scripsisse fertur Lysis Pythagoreus §. 75: *Ὅσιον ἔστι, φασὶ, μὴ κοινὰ ποιῆσθαι τὰ σοφίας ἀγαθὰ τοῖς οὐδ᾽ ὄναρ τὰν ψυχὰν κεκαθαρμένοις.* Krische l. 1, p. 26 et 27.

[45]) Wyttenbach. in Plut. Moral. I (VI), p. 135 et 136, in libellum de puerorum educatione 12, a.

[46]) Geschichte der Erziehung I, 187 u. 244.

[47]) Jambl. §. 130, *καταρτύσει ἐπισκόπει πῶς ἔχουσιν φύσεως πρὸς ἡμέρωσιν.*

acciperent, cumque respondendo et fortasse disputando quoque suam quisque exponeret sententiam. Neque enim in literis, quas acceperant discipuli, opinionem praejudicatam tantum potuisse, ut sine ratione valeret auctoritas, utque, si quid affirmarent, quum ex iis quaereretur, nihil aliud responderent atque: „ipse dixit“, in examine illo, in quo suam approbarent rerum scientiam, bene animo possum complecti.

At quorsum hocce silentium Pythagoricum, atque adeo quinquennale? dii meliora! quorsum summa illa praeceptoris auctoritas, quam supra tetigimus tamquam a Graecorum natura alienissimam? ad quam si provocabant omnem dubitationem non posse quin plane exstingueretur atque removeretur pro certo sibi erant persuasi, quaque neglecta nefas se commisisse crediderunt [48])? Ex mea quidem opinione, in altero hocce Pythagoricae sectae coetu literarum studiis haud ita magna navata est opera, sed sacris potissimum rebus, quibus ad veram perduci virtutem homines credebant, quibusque Pythagoras erat addictissimus. Jam in sacris arcanis sive mysteriis, quae multa Samius, pro symbolica ratione qua per imaginem sensus plerumque adumbrabat suos, videtur coluisse, in quibus sapientes, ut Socrates, a vulgari saepe, quam populus amplectebatur, abhorrebant fide, tale silentium rei naturae multo magis fuit consentaneum, quam in literis docendis discendisve, praesertim cum stabilis firmaque Pythagorae esset ratio, quam semper sequebatur, qua omnibus omnia esse docenda negavit [49]). Atque divina, quae tradebantur a viris rerum doctrina amplissimis, plerumque summa accipiebant fide qui initiabantur discipuli, ut omissa cura, qua accuratius in ea inquirerent, mandarent memoriae atque non modo cum ulla mentis, quam dicunt, reservatione, sed ne cum dubia quidem haesitatione servarent religiosissime. In his igitur, si disputando ex discipulis quaerebant, quibus causis probarent suam in deos pietatem, magistro, solenni sua formula, αὐτὸς ἔφα, fidei teste laudato, sibi satisfecisse videbantur.

Longe aliter res sese habet in literis, et quidem potissimum in mathematicis, quibus tota Pythagorae philosophia et moralis et politica est fulta, in quibus somnians illa fides, quae nonnisi ad praeceptoris potest provocare auctoritatem,

[48]) Ad hoc silentium pertinet septimum symbolum apud Jamblichum in adhortatione ad philosophiam: γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κράτει θεοῖς ἑπόμενος. Cfr. Ritter Gesch. der pythag. Philosophie S. 33.

[49]) μὴ κοινὰ ποιῆσθαι τὰ σοφίας ἀγαθά ap. Jamblich. §. 75. Cf. Diogen. Laert. VIII, 15, et Krische l. l. pag. 77, qui hoc silentium prorsus rejecit.

neque vero ad distincte expressam, quam sua ipsa sibi paravit diligentia, rei imaginem, locum habere nequit et quidem minime in Pythagorae societate, qui, ne apertis oculis somniarent qui erudiuntur, neve animi torpescerent vires summa, qua fieri potest, cavit opera, quique interna cogitandi alacritate, qua impigerrimo in quibuscunque rebus utamur ingenio nihil esse melius, nihil praestantius, nihil antiquius in omnia saecula juventutis bene docuit magistros. Neque enim omnes, quorum erudiendorum sibi demandata erat provincia, uno eodemque instituit modo, tritissimam docendi ingrediens viam; sed pro varia animi ingeniique indole varia erat disciplina. Certe Abarym sacerdotem ab initio ne defectissima quidem ac subtilissima philosophiae celavit praecepta, nam: ἄλλους ἄλλως, ὡς ἔχει ἕκαστος φύσεως καὶ δυνάμεως, ἐπανορθῶν ἐπειρᾶτο [50]).

